

## CAPUT XXV.

Explicatur D. Paulus Actorum capite 17. Ex uno sanguine, non esse, ex uno Adamo.

**N**ON movet me quod introducitur D. Paulus in Areopago dicens, Actorum capite 17. Deum fecisse totam hominum gentem <sup>a</sup> ex uno sanguine. Non enim concluditur hinc, ut vulgo receptum est, homines omnes oriundos ex Adamo. Imo illud tantum, Deum compegisse omnes homines, ex una eademque materia, ex una eademque terra, ex uno eodemque pulvere, ex una eademque carne, ex uno eodemque sanguine. Quae locutio vulgaris est in sacris literis. Ecce & me sicut & te fecit Deus: & de eodem luto ego quoque formatus sum: aiebat Eliu ad Iob. Tale illud est Domini nostri D. Petrum alloquentis. Simon Barjona, caro & sanguis haec non retexit tibi. Nec praetereundum est quod hoc loco Actorum, signate distinxit Apostolus materiam à progeie hominum. Materiam fecit ex sanguine: progeniem duxit à Deo. Vbi dixit, Fecit ex uno sanguine totam hominum gentem; Deinde conclusit, Progenies ergo Dei cum simus. Non dixit, Progenies Adami cum simus. Quippe qui alloquebatur, non Iudaeos, sed Athenienses gentiles: & respiciebat, non particularem illam creationem Adami, qua Deus Iudaeos in Adamo sibi peculiariter finxit & efformavit filios: sed generalem illam, qua Deus naturam ipsam, & omnes homines ad sui imaginem creavit: & secundum quam imaginem dicuntur indistincte omnes homines progenies Dei.

<sup>a</sup> Vulgata editio vertit, ex uno, simpliciter, sed in autographo Græco legitur expressim. ἐξ ἑνὸς αἵματός. ex uno sanguine.

## CAPUT XXVI.

Exercitationis epilogus.

**E**XEGI quae habebam super his versibus Apostoli, de imputatione peccati, & de regno mortis, ab Adamo: nec non